

HORATIUS AT THE BRIDGE (C. 510 B.C.) (2.10)

1 Cum hostes adessent, pro se quisque in urbem ex agris demigrant; urbem
2 ipsam saepiunt praesidiis. Alia muris, alia Tiberi obiecto videbantur tuta:
3 pons sublicius iter paene hostibus dedit, ni unus vir fuisset, Horatius Cocles;
4 id munimentum illo die fortuna urbis Romanae habuit. Qui positus forte in
5 statione pontis cum captum repentino impetu Ianiculum atque inde citatos
6 decurrere hostes vidisset trepidamque turbam suorum arma ordinesque
7 relinquere, reprehensans singulos, obsistens obtestansque deum et hominum
8 fidem testabatur nequiquam deserto praesidio eos fugere; si transitum ponte
9 a tergo reliquissent, iam plus hostium in Palatio Capitolioque quam in
10 Ianiculo fore. Itaque monere, praedicere ut pontem ferro, igni, quacumque vi
11 possint, interrumpant: se impetum hostium, quantum corpore uno posset
12 obsisti, excepturum. Vadit inde in primum aditum pontis, insignisque inter
13 conspecta cedentium pugna terga obversis comminus ad ineundum proelium
14 armis, ipso miraculo audaciae obstupescit hostes. Duos tamen cum eo
15 pudor tenuit, Sp. Larcium ac T. Herminium, ambos claros genere factisque.
16 Cum his primam periculi procellam et quod tumultuosissimum pugnae erat
17 parumper sustinuit; deinde eos quoque ipsos exigua parte pontis relicta
18 revocantibus qui rescindebant cedere in tutum coegit. Circumferens inde
19 truces minaciter oculos ad proceres Etruscorum nunc singulos provocare,
20 nunc increpare omnes: servitia regum superborum, suae libertatis
21 immemores alienam oppugnatum venire. Cunctati aliquamdiu sunt, dum
22 alius alium, ut proelium incipiant, circumspectant; pudor deinde commovit
23 aciem, et clamore sublato undique in unum hostem tela coniciunt. Quae cum
24 in obiecto cuncta scuto haesissent, neque ille minus obstinatus ingenti
25 pontem obtineret gradu, iam impetu conabantur detrudere virum, cum simul

26 fragor rupti pontis, simul clamor Romanorum, alacritate perfecti operis
27 sublatus, pavore subito impetum sustinuit. Tum Cocles "Tiberine pater"
28 inquit, "te sancte precor, haec arma et hunc militem propitio flumine
29 accipias." Ita sic armatus in Tiberim desiluit multisque superincidentibus
30 telis incolumis ad suos tranavit, rem ausus plus famae habituram ad posteros
31 quam fidei. Grata erga tantam virtutem civitas fuit; statua in comitio posita;
32 agri quantum uno die circumaravit, datum. Privata quoque inter publicos
33 honores studia eminebant; nam in magna inopia pro domesticis copiis
34 unusquisque ei aliquid, fraudans se ipse victu suo, contulit.